mihi conscium planè mihi non adscribere; omnia autem benevolentiæ tuæ, quam equidem omnium officiorum genere mereri aliquandò conabor. Non possum Vir Nobilissime non invidere tibi tot illustrium hospitum conventum, quem expectare te hodie vel crastino intellexi. Doleo nunc certè trium horarum spatio a te divisos esse, quotquot hic rei Musicæ cultores vivimus. Nec desperamus tamen quin tuâ facundiâ permoveri possint tot amoena ingenia, ut Hagæ quoque aliquandò tam festum diem indulgeant. Vale Vir eximie, et festinanter ista scribillanti ignosce, oculis prætereà somnolentis a commessatiunculâ Musicâ, cui apud Sirenem nostram ad multam noctem vacavimus. Vale. 27. Apr: 1674.

Eidem. Nobilissime atque amplissime Vir. (517)

Totum tibi triduum dabo, quo non ullum gratius unquam mihi obtigit, aut amoenius. Tantâ me voluptate affecit trias ista peritissimorum Musicorum, inter quos nemo est, qui non eminere posset, nisi inter pares audiretur. Adeò in suâ quisque arte potens est ac stupendus. Tu solus defuisti Vir Nobilissime et molestè desideratus es. qui prudentissimus omnis Symphoniæ Choragus, ornare quam maximè tuâ præsentiâ ejusmodi conventus sola regere etiam ac moderari. Erit, spero, quæ hanc plenissimam nobis hilaritatem reducat dies; nam, vel te jubente vel me rogante, videntur hi tanti Artifices non ægrè aliquando ad nos redituri. quod ut quantò ocyùs fiat, et quidem frequentissimè summoperè cupio, præcipuè verò ut per valetudinem tuam liceat. Scrib: Hagæ Com: 15. Maij 1674.

Eidem. (518)

Prævenisti me ut soles Vir nobilissime, et officii vicem quod debitoris erat, creditor occupasti. facis, inquam, pro more tuo, qui est, humanitate neminem non prævenire. Me quidem hic rubore perfudisti, qui quas tibi chartulas ultrò destinaveram, nescio quâ socordiâ neglexi transmittere, donec ipse mihi aurem velleres, quod certè factum nolim. Ecce igitur de acervo meo Musico, potissima quæque, et quæ tibi maximè ad palatum factura

factura credidi, utere ~~fru~~ fruere tanquam meis, id est planissimè tuis. Fidei tuae perquam securè omnia committo, satis certus, etiam sine indice vel inventario singula ad me relatum iri, postquam te eorum satias ceperit. Vale Vir humanissime et me ama, qui hoc ut merear operam usque daturus sum

Verè tuus.

Hagae Com: .. Id: Oct: 1674.

De Arcano contra Arthritidem multum tibi debeo, plusculum fortassis infeliciores alii debituri sunt, quibus tuo nomine et quasi ex fideicommisso continget succurrere.

(519)

Bokelmanno: Fave precor huic homini, Amplissime atque Humanissime domine, optimarum artium longè peritissimo doctori Medico, Anatomico, Botanico ~~ac~~ excellenti, atque eo nomine Principi meo charo, atque inter domesticos, cum collegâ Romphio admisso. Brunsteinius est, longâ mihi consuetudine notus dilectus, familiaris. Iam levis operae et momenti est quod sibi ab humanitate tuâ per me ardet polliceri ~~Certe~~ tuum honesta petitio. Certè, quantum illi gratificatus eris, mihi patiar, in ~~pretiare~~ [illegible]. Vale et ~~febili~~ festinanti calamo ignosce ac amare perge.

19. Nov: 1675.

Totum suum

Ioanni Buschoffio:

Ioanni Buschoffio.

Constantinus Hugenius

S.

(520)

Iam verò hoc manifestum est, Vir Clarissime, minus tibi notum esse Hugenium quam cum fuit maximè, quippe quem tu arbitratus es non posse sine munere vel adiri, vel placari, hominem certè ab omni munerum lenociniis alienissimum. tibi autem ne ~~s~~ subirascerem quidem, ut qui nulla lege obstrictus eras non hoc nescire, superstitem patriae calamitatibus hic restare senem, qui scilicet, ut εἷς τῶν τυχόντων, nihil porro nisi numerus vivat et inutile terrae pondus. Gratias interim tibi quas debeo, ago maximas, quod larga mihi manu affundere volueris, quibus ego vel aegrorum amicorum dolori valeam succurrere vel